

GIURISPRUDENZA

SUPREMO TRIBUNALE DELLA SEGNETURA APOSTOLICA, 21 maggio 1988, Prot. n. 17914/86 CA, *Demolizione della Chiesa Parrocchiale Y* (Comitato per il mantenimento della Chiesa parrocchiale Y - Congregazione per il Clero).*

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. n. 17914/86 CA
Demolitionis Ecclesiae Paroecialis Y
(Consilium pro servanda Ecclesia Paroecialis Y - Congregatio pro Clericis)

Incid.: recursus adversus decretum reiectionis ex parte Congressus Huius Supremi Tribunalis.

DECRETUM DEFINITIVUM

IOANNE PAULO PP. II, feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno X, die 21 maii 1988, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis PP.DD Aurelio Sabattani, *Praefecto*, Bernardino Gantin, Opilio Rossi, *Ponente*, Rogerio Etchegaray et Aloisio Dadaglio, in causa N, Demolitionis Ecclesiae Paroecialis Y, inter recurrentem Consilium pro servanda Ecclesia Paroecialis Y, repraesentatum per procuratorem Adv. Carolum Tricerri, et resistantem Congregationem pro Clericis, repraesentatam per Adv.tum Publicae Administrationis, Conradum Bernardini, interveniente in causa Rev. mo P. Francisco D'Ostilio, OFM Conv.,

* Vedi dopo la sentenza il commento di JAVIER CANOSA, *L'impugnazione del decreto di demolizione di una chiesa parrocchiale da parte di un gruppo di fedeli*.

Promotore Iustitiae, hoc tulit definitivum Decretum.

FACTISPECIES

1. Exc.mus Episcopus N, decreto diei 29 aprilis 1985, fidelibus paroeciae Y in civitate N (Z) significavit suam decisionem supprimendi dictam paroeciam et communitatem paroecialem tribus proximioribus paroeciis assignandi, simulque non amplius ad cultum divinum adhibendi aedificium eiusdem ecclesiae.
2. Multae quidem personae, quarum maxima pars fidelium eidem supprimendae paroeciae adscriptorum, "Consilium pro servanda Ecclesia Y" constituerunt. Tunc enim D.nus V et W, Praeses et Secretarius praefati Consilii, nomine ipsius Consilii membrorum, die 9 maii 1985, ad Ordinarium N recurrerunt adversus paroeciae divisionem et ecclesiae paroecialis abolitionem.
3. Recursum exhibitum reiecit Exc.mus Episcopus N, die 22 maii 1985, significans recurrentes ius habere adversus suam decisionem recurrendi ad Congregationem pro Clericis. Consilium vero recurrit, die 5 iunii 1985, ad Congregationem pro Clericis, quae, die 15 februarii 1986, decrevit quaestionem remittendam esse conscientiae et prudentiae sacerdotali Episcopi, qui tamen agere debet in obsequio praescriptis Codicis Iuris Canonici.
4. Consilium, per suum constitutum Patronum Adv.tum Carolum Tricerri, die 7 martii 1986, interposuit recursum

Sectioni Alterae Huius Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae adversus decisionem Congregationis pro Clericis. Et Publicae Administrationis Patronus, Adv.tus Conradus Bernardini, die 25 martii 1986, exceptionem proposuit ob defectum capacitatis iuridicae et legitimationis activae Consilii recurrentis.

Hoc Supremum Tribunal invitavit Adv.tum Carolum Tricerri ut peculiari modo ea in lucem poneret quae legitimationem activam recurrentis respiciebant, et ipse ad rem, die 9 aprilis 1986, proprium memoriale exhibuit.

5. Perpensis deductionibus a partium Patronis expositis et considerato voto a Rev.mo Promotore Iustitiae exarato, Hoc Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, in Congressu diei 29 aprilis 1986, decrevit ut, ad normam art. 113 *Normarum specialium*, exsecutio impugnatae decisionis suspenderetur, donec definitiva decisio super recursu ab Hoc Supremo Tribunali lata fuerit.

6. Attenta enim gravitate quaestionis de legitimitate activa Consilii recurrentis, Hoc Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, die 11 iunii 1986, votum postulavit circa rem a Pontificia Commissione Codici Iuris Canonici authentice interpretando, quae, sequenti dubio proposito: "Utrum christifidelium coetus, personalitatis iuridicae, immo et recognitionis, de qua in can. 299, § 3, expers, legitimationem activam habeat ad recursum hierarchicum proponendum adversus decretum Episcopi dioeciesani", responsum, die 29 aprilis 1987, dedit: "NEGATIVE, qua coetus; AFFIRMATIVE, qua singuli christifideles, sive singillatim sive coniunctim agentes, dummodo revera gravamen passi

sint. In aestimatione huius gravaminis, iudex congrua discretionality gaudeat oportet”.

7. Praefatum responsum authenticum cum patronis partium Hoc Supremum Tribunal communicavit et invitavit Adv.tum Carolum Tricerri ut demonstraret gravamen quod unusquisque recurrentium passus esset ob decisionem impugnata necnon gravitatem huius gravaminis ita ut constaret de “interesse” ad actionem exercendam.

Memorialibus, hac de re, a patronis, necnon voto pro rei veritate a Rev.mo Promotore Iustitiae denuo exaratis, Hoc Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, in Congressu, die 9 februarii 1988, habito, decrevit: “Recurus a Consilio pro servanda ecclesia paroeciali Y in civitate N, die 7 martii 1987, exhibitus, considerari nequit, ob defectum legitimationis activae, seu personae standi in iudicio, ex parte Consilii recurrentis, neque considerari potest, in casu, recursus, quatenus a singulis fidelibus propositus”.

8. Adversus hoc decretum Patronus recurrentis, die 3 martii 1988, recursum interposuit ad normam art. 116 *Normarum specialium* ad Collegium Iudicans, de quo Nobis est decernere: “An recursus admittendus sit ad disceptationem, necne”.

IN IURE

9. In Ecclesia, praeter personas physicas, sunt etiam personae iuridicae (cf. cann.113, § 2; 114; 116; 118), quae haud

dubie ministerium vel officium iudicis legitime invocare possunt, modo legitimationem ad causam, seu legitimationem activam habeant.

10. Personae physicae, sive sint baptizatae sive non baptizatae, agere possunt in iudicio (cf. can. 1476): nam non amplius requiritur ut quis sit baptizatus ad agendum. Recurrere enim possunt personae physicae coetum constituentes, quamvis non sint baptizatae, sive singillatim sive coniunctim agentes, quo in casu habetur litisconsortium activum, et agere possunt per se vel per suum legitimum procuratorem.

11. Personae iuridicae, constitutae aut ex ipso iuris praescripto aut ex speciali competentis auctoritatis concessione per decretum data (cf. can. 114, § 1), sive sint publicae sive sint privatae (cf. cann. 116; 118), recurrere possunt in iudicio.

Nullus autem christifidelium coetus, privata inter se conventionem inita (cf. cann. 215; 299, § 1) constitutus, agnoscitur in Ecclesia (cf. can. 299, § 3), nisi eius statuta ab auctoritate ecclesiastica competenti, de qua in can. 312, § 1, sint probata. Statutorum vero probatio non immutat naturam privatam coetus, qui caret personalitate iuridica et hanc solummodo acquirit per decretum formale (cf. can. 322, § 1) auctoritatis competentis (cf. can. 312, § 1).

Talis enim christifidelium coetus non est in Ecclesia persona iuridica, publica aut privata (cf. cann. 114; 118), immo et recognitionis expertus est, de qua in can. 299, § 3; est tantummodo consociatio fidelium privata, quae existentiam habet ex libera sociorum voluntate. Huic autem christifidelium coetui non agnoscitur, qua coetus, capacitas in iudicio recurrenti.

12. Singuli vero coetum constituentes agere in iudicio possunt, vel singillatim vel coniunctim, cum revera quisquis se gravatum sentiat ex actu administrativo impugnando: nam in hoc consistit fundamentum legitimationis activae singulorum sociorum vel membrorum. Ad rem enim est praescriptum: "Qui se decreto gravatum esse contendit, potest ad superiorem hierarchicum eius, qui decretum tulit, propter quodlibet iustum motivum, recurrere" (can. 1737, § 1). Huiusmodi enim praescriptio a recurrentibus exigit, praeter capacitatem processualem sic vocatam legitimationem activam, peculiarem et iuridice tutelam cum obiecto controversiae relationem.

13. Iuridicum legitimationis activae fundamentum indicatur a Legislatore canonico per verba "gravatum esse contendit" (cf. can. 1737, § 1). Et in responso supra memorato Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici authentice interpretando invenitur conditio "dummodo revera gravamen passi sint" (cf. supra n. 6).

Attamen, cum impossibile sit per legem statuere obiectivitatem et mensuram gravaminis, necesse est ut superior hierarchicus (cf. can. 1737, § 1) et iudices tribunalis administrativi in admittenda vel reicienda, singulis in casibus, legitimatione activa recurrentis congrua discretionalitate gaudeant. Praeterea, necesse est ut quisquis ex recurrentibus antea ostendat suam relationem personalem, directam, actualem et iuridice fundatam relate ad administrationem ecclesiasticam impugnandam.

IN FACTO

14. Recursus, in casu, interpositus est a

Consilio pro servanda Ecclesia Paroeciali Y in urbe N. Hoc enim Consilium, in ordinatione canonica, caret personalitate, sive publica sive privata (cf. supra n. 11): nam nullibi ex actis constat de concessione huius personalitatis per decretum formale. Caret etiam simplici agnitione in Ecclesia ut consociatio privata, quae acquiritur per recognitionem seu approbationem statutorum ab auctoritate competenti ecclesiastica (cf. cann. 299, §3; 322, § 2). Ideo praedicto Consilio, qua coetus, non agnoscitur capacitas processualis ad normam Interpretationis authenticae supra memoratae (cf. supra n. 6).

15. Enimvero praefatum Consilium recursum proposuit, *qua coetus*, ad Congregationem pro Clericis et Dicasterium quaestionem pertractavit utpote propositam a Consilio. Christifideles, re quidem vera, in limine recursus et communi consilio non effecerunt litis consortium, ita ut coniunctim fideles egerint.

Habita vero notitia praedictae Interpretationis authenticae, membra Consilii pro servanda ecclesia cogitare coeperunt de occasione opportuna ad consortium litis constituendum. Et tandem aliquando partis recurrentis Patronus, instantia diei 4 iulii 1987, declaravit se nunc agere velle etiam nomine singulorum christifidelium, exhibuit Cancellariae Huius Supremi Tribunalis actum, in quo adnotatur nomina quorundam adscriptorum Consilio pro servanda Ecclesia paroeciali Y, et petivit ut actis uniretur.

16. At contra, mandatum procuratorium Adv.to Carolo Tricerri tunc datum est a Coetu vel Consilio et non a singulis christifidelibus, et recursus,

tunc exhibitus a Coetu, sanari nequit simplici declaratione christifidelium se nunc agere velle coniunctim uti litis consortium, ita ut recursus, qui antea fuit interpositus a Coetu, prout Coetus, nunc uti recursus singulorum christifidelium appareat.

Animadvertendum etiam est instantiam diei 4 iulii 1987 a Patrono recurrentis extra terminos esse propositam, et tunc Congregationem pro Clericis pertractasse quaestionem uti prolatam a Consilio pro servanda Ecclesia paroeciali et non uti propositam a singulis christifidelibus. Nunc autem Hoc Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal definire nequit recursum adversus decretum administrativum Ordinarii N, nisi praecesserit recursus ad competentem Congregationem Curiae Romanae, quod, in casu, relate ad singulos christifideles, non verificatur.

17. Ex dictis enim patet praedictum "Consilium" capacitate carere processuali et consequenter recursum admitti non posse. Sed admissa et non concessa possibilitate sanationis recursus ope praefatae declarationis christifidelium (cf. supra n. 16), nunc praeliminari modo examinandum est gravamen a recurrentibus assertum, ut legitimatio activa ipsis agnosci possit.

18. Patronus Consilii recurrentis, principiis de legitimitate activa praemissis, indicat gravamina, quae recurrentes passi sunt ex decreto Exc.mi Episcopi N "demolitionem" ecclesiae paroecialis iubente.

19. Haec enim gravamina duplici ex capite praesertim originem trahunt; nam recurrentes vindicant:

a) iura sua, in can. 1222 statuta, violata esse;

b) legitima iura sua exercere posset et obligationibus sibi pertinentibus parere.

Ad primam vindicationem venit can. 1222, qui statuit aliquam ecclesiam in usum profanum non sordidum ab episcopo dioecesano redigi posse, si nullo modo ad cultum divinum adhiberi queat et si possibilitas non detur eam reficiendi (cf. 1). Paragraphus 2 eiusdem canonis monet in usum profanum non sordidum aliquam ecclesiam redigi posse, si aliae graves causae id suadeant, audito consilio presbyterali, et de consensu eorum qui iura in eadem sibi legitime vindicant, attento quod ex hoc nullum detrimentum animarum bonum patiatur.

Exc.mus Episcopus N, in casu, lege non tenebatur a fidelibus paroeciae Y adscriptis et nunc recurrentibus, sive singillatim sive coniunctim agentibus, aliquid exquirere, quia iura christifidelium sese referunt generatim ad omnia quae fideles ipsi paroeciae Y adscripti, qua singuli et qua communitas paroecialis, ad ecclesiam paroecialem attulerunt (cf. cann. 222, § 1; 1261). Consensus autem christifidelium requiritur ad normam can. 1222, § 2, quando fideles iura sibi legitime vindicant, ut exemplo utamur, ex fundatione vel ex aedificatione ecclesiae provenientia, quae quidem iura dicuntur patrimonialia aut adsimilata.

Ad alterum caput vel vindicationem quod attinet, recurrentes repetunt iura et obligationes de quibus in cann. 209, 213, 214, 216, 217, 222, 225, 229, 231, et definite mentionem faciunt:

Primum, de iuribus fidelium, adiuventum accipiendi ex bonis spiritualibus ecclesiae; ad persolvendum cultum; ad promovendam et sustinendam actionem apostolicam;

deinde, de obligationibus fidelium: ser-

vandi communionem cum Ecclesia; subveniendi necessitatibus Ecclesiae; collaborandi in propaganda et sustinenda fide.

Nihilo minus haec iura et obligationes christifidelium non sunt indissolubiliter vinculata cum illa ecclesia paroeciali Y, ac proinde nec eorum exercitium ab exsistentia determinatae aedis sacrae pendet. Christifideles iure gaudent ut ex spiritualibus Ecclesiae bonis adiumenta a sacris Pastoribus accipiant (cf. can. 213): at illi iure non gaudent determinandi ubi vel quo loco divinus cultus sit peragendus. Locus enim concretus a Pastoribus determinatur (cf. cann. 369; 374), et unius est Episcopi dioecesanii paroecias erigere, suppressere aut eas innovare (cf. can. 515, § 2).

20. His omnibus commemoratis, apparet iura et obligationes christifidelium recurrentium, in casu, violata et spreta non esse ab impugnata decisione Exc. mi Episcopi N et Congregationis pro Clericis, quae eam confirmavit. Sequitur enim quod nemo omnium recurrentium concreta gravamina passus sit.

Etenim recurrentes, etiam si per hypothese[m] capacitate generica ad agendum in iudicio gaudeant, tamen ne eorum quispiam, in casu concreto, titularis est alicuius iuris subiectivi, necne interesse legitimum habent sufficiens ut fundamentum ad recursum praebeant. Nullimode vero probatum est gravamen a singulis christifidelibus passum, quod momentum habere possit.

21. Christifideles paroeciae Y adscripti, nullum ergo passi sunt gravamen consideratione iuridica dignum, quoniam nullibi constat laesum esse interesse eorum personale, actuale, directum et

a lege tutelatum saltem indirecte. Iudicium circa gravamen, in casu, considerari debet relate ad novam conditionem quae exsurgeret ex "demolitione" ecclesiae. Sed idem recurrentium Patronus fere nihil aliud ad rem dicere potest nisi quod aliqui christifideles adscripti fuerunt paroeciae Y. Quae quidem assertio caret fundamento legitimationis activae singulorum sociorum vel recurrentium, quatenus nemo asserit, et aliquo modo probat, se gravatum esse ex actu administrativo Exc. mi Episcopi dioecesanii, qui peculiari ecclesiae praeficitur, quam cum potestate ordinaria regit sub auctoritate Romani Pontificis.

22. Gravamen, quod asseritur passum, aliud non est nisi laesionem utilitatis vel commodi (cf. supra, n. 19) mutuata[m] a decisione Episcopi dioecesanii (cf. supra n. 1). Ast vero ex incommodo et necessitate recurrentium non efflorescit gravamen in lege canonica fundatum, quod necesse est, ut verum recursum ad superiorem hierarchicum. In casu analogo, Collegium Em. morum PP. Cardinalium Huius Signaturae Apostolicae, edixit: "Gravamen in casu praesupponit recurrentem ius aliquod subiectivum aut saltem interesse habere; quod quidem interesse, ut fundamentum praebeat actioni, intelligi nequit quodcumque, sed debet esse, ut doctrina docet, personale, directum, actuale et a lege, saltem indirecte, tutelatum" (Decretum diei 21 novembris 1987, prot. n. 17447/85 C.A. in causa Ultraiecten., n. 4, p. 5).

Quibus omnibus, tum in iure tum in facto perpensis, Collegium Em. morum Patrum Cardinalium, pro tribunali sedens ac solum Deum prae oculis habens, pro-

posito dubio respondendum censuit uti
respondet:

“NEGATIVE, SEU RECURSUM
NON ESSE ADMITTENDUM AD
DISCEPTATIONEM”.

(Signati) Aurelius Card. Sabbatani, Praef.
Bernardinus Card. Gantin
Opilius Card. Rossi, Ponens
Rogerius Card. Etchegaray
Aloisius Card. Dadaglio

Et Notificetur.

Datum Romae, e sede Supremi Tribu-
nalis Signaturae Apostolicae, die 23 iunii
1988

✠ Zenon GROCHOLOEWSKI, *Secr.*
Vincentius CÁRCEL ORTÍ, *Cancellarius*